



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pe pagomenus>

Lvtetiae, 1612

ij. De censura & cognitione canum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

cupiditate cursus nimia catulos corrūpat;
aut si abortum faciat, ipsamēt pereat. scias
autem bimestre tempus gestare vterum, &
quot mares habeat, totidē diebus tempus
constitutum superare. marem vero foueri
molli alimento & abundantī usque ad tri-
cesimum diem, necessitas est. Post deinde
cum res postulet, invenatum educi potest.

Decensura accanum cognitione.

SI cupias comparare canes bonos ac ge-
nerosos, ita de illis experimētum facito.
ex fœno rotundum fac circulum, latitu-
dine rotæ currus, siste catulos in medium
circulum, seorsim vero matrem contine.
Fœnum dein circumcirca succendito, &
quum videris ardere iam fœnum, vinculis
canem exime; ac experiere eam metu omni-
posito per ignem irrumpere: quippe quod
arcto adeo amoris vinculo suis catulis sit
deuincta. eligit vero naturali quodam de-
siderio ac iudicio & optimos quoq. ex
incendio educit. eos autem qui relicti sunt
ab ea, si vel venum dare, vel alicui gratifi-
cari volueris, alteri cani suppones, que suos
nihilominus catulos habeat, ut ipsa alat. sed
enim hoc modo eos illi subijcies emungito

canem lacte pauculo, manu id excipe & expuens in id, misce; denique inunge tergum catulorum, ac subijce illos altrici, atq. cognosces coram, quod libeter ad modum eos recipiat. Est & alia probatio catuli melioris. in librā catulos imponito, & grauiorem eligito. Quos autem tute retinere volueris, fac sis ab ipsa matre alantur, & non ab altera quauis. lac namque maternum est utilissimum.

De electione canum.

EX canibus iam prognatis eligendi venient præ cæteris, qui forma leones, pardos ac lupos referunt, aures habent magnas & molles, vt etiam præ magnitudine ac mollicie inclinentur. at si rectæ fuerint aures & non paruæ, non erit canis malus: sed si rectæ ac duræ, non generosum arguent. Collum crassum. pectus & humeri lati & non constricti, sed soluti à sese inuicem. Caudæ longæ & tenues. Crura posteriora prioribus altiora. Ita enim facile saltus acclives ac arduos superat: si vero æqualia fuerint, velociter curret in planicie: sintque crura potius vara quam vacia; & femella magnitudine corporis conferatur masculo.

Quo